

ARGUMENTUM.

*Cajum, et Marcum Avianos fratres commendat,
alterum præsentem, alterum absentem.*

M. T. C. Allieno Procos. S. D.

Et te scire arbitror, quanti fecerim C. Avianum Flaccum: et ego ex ipso audieram, optimo, et gratissimo homine, quam à te liberaliter esset tractatus. Ejus filios, dignissimos illo patre, meosque necessarios, quos ego unicè diligo, commendando tibi sic, ut majore studio nullos commendare possim. C. Avianus in Sicilia est: Marcus est nobiscum, ut illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista prævincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementè etiam, atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERONIS

EPISTOLARUM

AD TERENTIAM, ET ALIOS.

LIBER XIV.

ARGUMENTUM.

Exul deflet suam, suorumque calamitatem, ejusque culpam confert in amicorum consilia: villæ venditionem prorsùs improbat: alia quædam scribit.

M. T. C. Terentia, Tulliolæ, et Ciceroni suis S. D.

Et litteris multorum, et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem, et fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum, te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas proptèr me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primùm sapere cœpit, acerbissimos dolores, miseriasque percepit: quæ si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulò facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant: eos non sequebar, qui petebant. Quòd si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuissest sermo aut

Kk

stultorum amicorum, aut improborum: beatissimi viveremus. Nunc, quandò sperare nos amici jubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo, quantoque fuerit faciliùs manere domi, quam redire. Sed tamen, si omnes tribunos pleb. habemus, si Lentulum tam studiosum, quam videtur, si verò etiam Pompejum, et Cæsarem, non est desperandum. De familia, quo modo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco, nunc quidèm jam abiit pestilentia, sed, quandiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum, et adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epitro, quò neque Hispo veniret, nec milites: sed adhuc Plancius me retinet. Sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat; quem ego diem si videro, et si in vestrum complexum venero, ac si et vos, et meipsum recuperaro; satis magnum mihi fructum videbor perceperisse et vestræ pietatis, et meæ. Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil suprà possit. Utinam ea res ei voluptati sit: gloriæ quidèm video fore. De Q. fratre nihil ego te accusavi, sed vos cum præsertim tam pauci sitis, volui esse quam conjunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi, et me à te certiore factum esse, scripsi. Quod ad me, mea Terentia, scribis te vicum vendituram; quid, obsecro te (me miserum), quid futurum est? et, si nos premet eadem fortuna, quid pueri misero fieri? Non queo reliqua scribere (tanta vis lacrymarum est), ne te in eundem fletum adducam. Tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerrit: si non erunt, tu efficere tua pecunia non po-

teris. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus. Cui si aliquid erit, ne egeat; mediocri virtute opus est, et mediocri fortuna, ut cætera consequatur. Fac valeas, et ad me tabellarios mittas; ut sciam, quid agatur, et vos quid agatis: mihi omnino jam brevis expectatio est. Tulliolæ, et Ciceroni salutem dic. Valete. D. antè diem vi. Kal. Dec. Dyrrachii. Dyrrachium veni, quod et libera civitas est, et in me officiosa, et proxima Italiæ. Sed si offendet me loci celebritas, aliò me conferam, et ad te scribam.

ARGUMENTUM.

Brevitatem suarum litterarum excusat: Pisonis generi officia in se laudat; dolet Terentiæ vicem: rogat, ne suam dotem projiciat, et ut valetudini serviat.

M. T. C. Terentiæ, Tulliolæ, et Ciceroni suis S. D.

Noli putare, me ad quemquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto scribiri oportere. Nec enim habeo, quod scribam: nec hoc tempore quidquam difficiùs facio. Ad te vero, et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrymis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas sempèr esse volui: idque præstare debui, et nisi tam timidi fuissemus, præstitsem. Pisonem nostrum merito ejus amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras cohortatus sum, gratiasque egi, ut debui. In novis tribunis pleb. intelligo spem te habere. Id erit firmum, si Pompeii voluntas erit: sed Crassum tamen metuo; à te quidèm omnia fieri fortis-

simè, et amantissimè video: nec miror, sed mœstro casum hujusmodi, ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ subleventur. Nam ad me P. Valerius, homo officiosus scripsit id, quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Vesta ad tabulam Valeriam ducta essem. Hem mea lux, meum desiderium, undè omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrymis, et sordibus, idque fieri mea culpa, qui cæteros servavi, ut nos periremus! Quod de domo scribis, hoc est de area: ego verò tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta. Verùm hæc non sunt in nostra manu. Illud doleo quæ impensa facienda est in ejus partem te miseram, et despoliatam venire. Quod si conficitur negotium, omnia consequemur, sin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas miserè proiecias; obsecro te, mea vita, quod ad sumptum attinet, sine alio, qui possunt, si modò volunt, sustinere: et valetudinem istam infirmam, si meamas, noli vexare. Nam mihi antè oculos dies, noctesque versaris: omnes labores te excipere video, timeo, ut sustineas; sed video in te esse omnia. Quarè ut id, quod speras, et quod agis, consequamur, servi valetudini. Ego, ad quos scribam, nescio, nisi aut ad eos, qui ad me scribunt; aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Longius, quoniam vobis ita placet, non discedam: sed velim quæm sæpiissimè litteras mittatis, præsettum si quid est firmius, quod speremus. Valete, mea desideria, valete. Dat. iii. Non. Octob. Thesalonicae.

ARGUMENTUM.

Quæritur, quod sua culpa, et ipse, et omnes sui, maximas in miseras incidint. Deinde ad varia capita respondet: sed ita dolenter, ut ideo à nonnubilis, jure fortasse, tamquam mollis, reprehendatur.

M. T. C. Terent. Tulliolæ, et Ciceroni suis S. D.

Accepi ab Aristocrito tres epistolæ, quas ego lacrymis propè delevi. Confidor enim mætrore, mea Terentia; nec me mæ miseriæ magis excruciant, quam tuæ, vestræque. Ego autem hoc mæsior sum, quam tu, quæ es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum; sed culpa mea propria est; Janeum fuit officium, vel legatione vitare periculum, vel diligencia, et copiis resistere, vel cadere fortiter. Hoc mæsarius, turpius, indignus nobis nihil fuit: quarè cum dolore confidor, tum etiam pudore. Pudet enim me uox: meæ optimæ, suavissimis libris virtutem, et diligentiam non præstisse. Nam mihi antè oculos dies, noctesque versatur squalor uester, et anteror, et infirmitas valetudinis tuæ iespèr autem salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi, invidi penè omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed otamen, quandiu vos eritis in spei, noui deficitam, ne somnia mea culpa cecidisse videantur. Ut tutò sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est, quem etiam inimici volunt vivere in tantis miseriis. Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias: et eas litteras Dexippo dedi: meque de eorum officio scripsi à te certiore esse factum. Pisonem nostrum

mirifico esse studio in nos, et officio, et ego perspicio, et omnes prædicant. Dii faxint, ut tali genere mihi præsenti tecum simūl, ac cum liberis nostris frui liceat. Nunc spes reliqua est in novis tribunis pleb. et in primis quidēm diebus: nam, si inveterat, actum est. Ea re ad te statim Aristocratum misit, ut ad me continuò initia rerum, et rationem totius negotii posses scribere. Etsi Dexippo quoquè ità imperavi, statim ut recurreret: et ad fratrem misi, ut crebrò tabellarios mitteret: nam ego eo nomine sum Dyrachii hoc tempore, ut quām celerrimè, quid agatur, audiam, et sim tutò. Civitas enim hæc sempèr à me defensa est. Cum inimici nostri venire dicentur; tūm in Epirum ibo. Quod scribis, te, si velim, ad me venturam: ego verò, cum sciam, magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo. Si perficitis, quod agis, me ad vos venire oportet: sin autem.... Sed nihil est opus reliqua scribere. Ex primis, aut ad summum, secundis litteris tuis constituete poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modò ad me velim omnia diligentissimè prescribas, etsi magis jam rem, quām litteras debo expectare. Cura, ut valeas: et ità tibi persuadeas, mihi te charius nihil esse, nec unquam fuisse. Vale, mea Terentia, quām ego videre videor: itaque debilitior lacrymis. Vale, pridiè Kalend. Dec. Dyrachii.

ARGUMENTUM.

Scripta est epistola non solum dolenter, sed etiam molliter. Argumentum est multiplex, quia respondeat ad varia capita litterarum Terentiae.

M. T. C. Terent. Tulliolæ, et Ciceroni suis S. D.

Ego minus sæpè ad vos do litteras, quām possum: propterea quod cùm omnia mihi tempora sunt misera, tūm vero, cum aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficiar lacrymis sic, ut ferre non possim. Quod utinam minùs vitæ cupidus fuisse: certè nihil, aut non multum in vita mali vissemus. Quod si nos ad aliquam alienjus commodi aliquandò recuperandi spem fortuna reservavit; minus est erratum à nobis. Sin hæc mala fixa sunt: ego verò te quām primū, mea vita, cupio videre, et in tuo complexu emori: quandò neque dī, quos tu castissimè coluisti; neque homines, quos ego servavi sempèr, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies xiii. fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum, et capitis sui pro mea salute neglexit: neque legis improvissimæ poena deductus est, quominus hospitii, et amicitiae ejus, officiumque præstaret. Huic utinam aliquandò gratiam referre possimus: habebimus quidēm sempèr. Brundusio profecti sumus ad ii. Kal. Majas. Per Macedoniam Cyzicum petebamus. O me perditum! o me afflitum! quid nunc rogém te, ut venias, mulierem ægram, et corpore, et animo confectam? non rogem? sine te igitur sim? opinor, sic agam. Si est spes nostri reditus, eam confirmes, et te adjuves:

sin, ut ego metuo, transactum est: quoquo modo potes, ad me fac venias. Unum hoc scito: si te habeo; non mihi videbor planè periisse. Sed quid de Tulliola mea fiet? jam id vos videte mihi deest consilium: sed certè quoquo modo se res habebit, illius misellæ et matrimonio, et famæ serviendum est. Quid Cicero meus, quid ager? iste verò sit in sinu sempèr, et complexu meo. Non queo jam plura scribere, impedit mœror. Tu quid egeris, nescio, utrum aliquid teneas, an (quod metuo), planè sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore sempèr nostrum. De familia liberata nihil est, quod te moveat. Primum tuis ità promissum est, te facturam esse, ut quisque esset meritus. Est autem in officio adhuc Orpheus, præterea magnoperè nemo. Cæterorum servorum ea causa est, ut, si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent; sin ad nos pertinerent, servirent, præterquam oppido pauci. Sed hæc minora sunt. Tu quod me hortaris, ut animo sim magno, et spem habeam recuperandæ salutis, id velim sit ejusmodi, ut rectè sperare possimus. Nunc miser, quandò tuas jam litteras accipiam? quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt. Quòd reliquum est, sustenta te, mei Terentia, ut potes. Honestissimè viximus, floruimus. Non vitium nostrum, sed virtus nostra nos affixit. Peccatum est nullum, nisi quòd unà animam cum ornamentis amisimus. Sed, si hoc fuit liberis nostris gratiùs, nos vivere, cætera, quamquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum,

quòd valetudine oculorum impediabatur, hominem fidelem, remisi. Salustius officio vincet omnes spes. Cennius est perbenevolus nobis: quem semper spero tui fore observantem. Sicca dixerat, se mecum fore, sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, ut valeas: et sic existimes, vehementius me tua miseria, quam mea commoveri. Mea Terentia fidissima, atque optima uxor, et mea charissima Tulliola, et spes reliqua nostra Cicero, valete. Pridie Kal. Maii, Brundusio.

ARGUMENTUM.

Scripsit hanc aliquot annis post superiores, L. Paulo, C. Marcello Coss. cum ex provincia Romam rediret. Significat de navigatione sua, de litteris acceptis, de hereditate Praetiana.

M. T. C. Terentiæ, Tulliolæ, et Ciceroni
suis S. D.

Si tu, et Tullia, lux nostra, valetis, ego, et suavissimus Cicero, valemus. Prid. Id. Oct. Athenas venimus, cum sanè adversis ventis usi essemus, tardèque, et incommodè navigassemus. De navi exeuntibus nobis Acastus cum litteris præstò fuit, uno, et vigessimo die, sanè strenue. Accepi tuas litteras, quibus intellexi, te vereri, ne superiores mihi redditæ non essent. Omnes sunt redditæ: diligentissimèque à te præscripta sunt omnia: idque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus, hanc epistolam, quam Acastus attulit, brevem fuisse. Jam enim me ipsum expectas, sive nos ipsos: qui quidem quamprimum ad vos venire cupimus. Etsi, in quam rem pub. venimus, intel-

ligo. Cognovi enim ex multorum amicorum litteris, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare: ut mihi cum venero, dissimulare non licet, quid sentiam. Sed, quandò subeunda fortuna est, eò citius dabimus operam, ut veniamus, quò facilius de tota re deliberemus. Tu velim, quod commodo valetudinis tuæ fiat, quām longissimè poteris obviam nobis prodeas. De hæreditate Prætiana, quæ quidèm mihi magno dolori est (valdè enim illum amavi), hoc velim cures, si auctio antè meum adventum fiet, ut Pomponius, aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet. Nos, cum venerimus, reliqua per nos agemus. Si tu jam Roma profecta eris, tamen curabis, ut hoc ità fiat. Nos, si dii adjuvabunt, circiter Id. Nov. in Italia speramus fore. Vos, mea suavissima, et optatissima Terentia, et Tulliola, si nos amatis, curate, ut valeatis. Athenis ad xv. Kal. Nov.

ARGUMENTUM.

Excusat infrequentiam litterarum: mandat, ut creditoribus satisfiat; gratias actas nescio quia non miratur: Pollicem expectat.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Nec sèpè est, cui litteras demus: nec rem habemus ullam, cum scribere velimus. Ex tuis litteris, quas proximè accepi, cognovi prædium nullum venire potuisse. Quare videoas velim, quomodo satisfiat ei, cui scis me satisfieri velle. Quòd nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas. Cura, ut valeas. Id. Quint.

ARGUMENTUM.

Exponit, quæ fuerit molestiarum causa, quoque modo liberatus sit: deinde scribit de sua ad Pompejum navigatione.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Omnes molestias, et solicitudines, quibus et te miserrimam habui, id, quod mihi molestissimum est, Tulliolamque, quæ nobis nostra vita dulcior est, deposui, et ejeci. Quid cause autem fuerit, postridiè intellexi, quām à vobis discessi, noctū ejeci. Statim ità sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidè tu Deo, quemadmodùm soles, piè, et castè satisfacias: id est, Apollini, et Æsculapio. Navim spero nos valdè bonam habere. In eam simùl atque concendi, hæc scripsi. Deindè conscribam ad nostros familiares multas epistolas: quibus te, et Tulliolam nostram diligentissimè commendabo. Cohortarer vos, quòd animo fortiore essetis, nisi vos fortiores cognoscerem, quām quemquam virum: et tamen ejusmodi spero negotia esse, ut et vos istic commodissimè sperem esse, et me aliquandò cum similibus nostris rempub. defensurum. Tu primùm valetudinem tuam velim cures: deindè, tibi si videbitur, villis iis utare, quæ longissimè aberunt à militibus. Fundo Arpinati benè poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Etiam, atque etiam vale. Datum vii. Id. Jun.

ARGUMENTUM.

Rogat uxorem, ut valetudinem curet, laudat ejas diligentiam: eaque ut deinceps utatur, mandat.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Si vales, benè est: ego quidèm valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissimè. Nam mihi et scriptum, et nuntiatum est, te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris litteris certiore, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies, ut sciam. Cura, ut valeas: Vale. Datum iv. Non. Jun.

ARGUMENTUM.

Significat dolorem suum ex Dolabellæ generi sui, Tullioque filiæ valetudine.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Ad cæteras meas miserias accessit dolor et è Dolabellæ valetudine, et Tulliæ. Omnipotens de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam, scio. Tu velim tuam, et Tulliæ valetudinem cures. Vale.

ARGUMENTUM.

Mandat, ut cum Attico colloquatur, litteras mittat.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Quid fieri placeret, scripsi ad Pomponium, serius quam oportuit. Cum eo si locuta eris, intelleges, quid fieri velim. Apertius scribi, quandò ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re,

et de cæteris rebus quamprimum velim nobis litteras mittas. Valetudinem tuam cura diligentèr. Vale. vii. Id. Quint.

ARGUMENTUM.

Tulliam ad se venisse, dicit: sibi autem in animo esse, Ciceronem filium ad Cæsarem mittere.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Tullia nostra venit ad me ptid. Id. Jun. cuius summa virtute, et singulari humanitate, graviore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longè alia in fortuna esset, atque ejus pietas, ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem mittere, et cum eo Cn. Sallustium. Si profectus erit, faciam te certiore. Valetudinem tuam cura diligentèr. Vale xvii. Kal. Quint.

ARGUMENTUM.

Fere suum consilium reprehendit, quod, victo in Pharsalia Pompejo, in Italiam redierit. Monet uxori ne ad ipsum eat.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Quod nos in Italiam salvos venisse gaudes, perpetuò gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magnisque injuriis, metuo, ne id consilii coepierimus, quod non facile explicare possimus. Quare, quantum potes, adjuva. Quid autem possis, mihi in mentem non venit. In viam quod te des hoc tempore, nihil est. Et longum est iter, et non tutum: et non video, quid prodesse possis, si ve-

526.

EPIST. AD TERENTIAM.

neris. Vale. Datum pridiè Non. Novembr. Brun-
dusio.

ARGUMENTUM.

*Permittit uxori, ut de nuntio remittendo consilium
capiat ex tempore.*

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Quòd scripsi ad te proximis litteris de nuntio
remittendo, quæ sit istius vis hoc tempore, et
quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuen-
dus iratus est, quies tamen ab illo fortassè nasce-
tur. Totum judicabis quale sit, et quod in mis-
serimis rebus minimè miserum putabis, id facies.
Vale. vi. Id. Quint.

ARGUMENTUM.

*Rogat uxorem, et filiam, consulerent et ipse, et
cum amicis, ab urbe discedant, necne adventu Cæ-
sarisi.*

Tullius Terentiæ, et pater Tulliolæ, duabus ani-
mis suis; et Cicero matri optimæ, et suavissimæ
sorori S. D.

Si vos valetis, nos valemus. Vestrum jam con-
silium est, non solum meum, quid sit vobis fa-
ciendum. Si ille Romam modestè venturus est, rec-
tè in præsentia domi esse potestis: sin homo a-
mens disipiendam urbem daturus est; vereor, ut
Dolabella ipse satis vobis prodesse possit. Etiam
illud metuo, ne jam intercludamini, ut cum veli-
tis, exire non liceat. Reliquum est, quod ipsæ opti-
mè considerabitis, vestri similes feminæ sint nè
Romæ. Si enim non sunt, videndum est, ut ho-

LIBER XIV.

527

nestè vos esse possitis. Quomodocumquè nunc se-
res habet, modò ut hæc nobis loca tenere liceat,
bellissimè vel mecum, vel in nostris prædiis esse
poteritis. Etiam illud verendum est, ne brevi tem-
pore fames in urbe sit. His de rebus velim cum
Pompejo, cum Camillo, cum quibus vobis vide-
bitur, consideretis: ad summam, animo forti sitis.
Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat etiam Piso,
quòd ab urbe discedit, et sceleris condemnat ge-
nerum suum. Vos meæ charissimæ animæ, quām
sæpiissimè ad me scribite, et vos quid agatis, et
quid istic agatur. Quintus pater, et filius, et Ru-
fus vobis salutem dicunt. Valete. viii. Kalend.
Quinct. Minturnis.

ARGUMENTUM.

*Dicit se mutasse consilium de mittendo ad Cesa-
rem Cicerone filio. Hæc autem epistola videtur scrip-
ta post eam, quæ ii. loco impressa est.*

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Constitueramus,
ut ad te anteà scripseram, obviam Ciceronem Cæ-
sari mittere: sed mutavimus consilium, quia de
illi adventu nihil audiebamus. De cæteris rebus,
etsi nihil erat novi, tamen, quid velimus, et quid
hoc tempore putemus opus esse, ex Sicca poteris
cognoscere. Tulliam adhuc mecum teneo. Vale-
tudinem tuam cura diligenter. Vale. xii. Kalend.
Quinct.

ARGUMENTUM.

Argumentum est de litteris, et de Volumnia.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Etsi ejusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut à te litterarum expectem, aut ipse ad te scribam: tamen nescio, quomodo et ipse vestras litteras expecto, et scribo ad vos, cum habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officiosior esse, quam fuit, et id ipsum, quod fecit, potuit diligentius facere, et cautiùs. Quamquam alia sunt, quæ magis curemus, magisque doleamus: quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura, ut valeas. Prid. Non. Jan.

ARGUMENTUM.

Doloris index epistola.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

Si quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id et plurimis verbis, et sèpiùs. Nunc quæ sunt negotia vides. Ego autem quomodo sin affectus, ex Lepta, et Trebatio poteris cognoscere. Fac, ut tuam, et Tulliæ valetudinem cures. Vale.

ARGUMENTUM.

Monet uxorem, et filiam, ut mature considerent, num Romæ tuto esse possint, et cum dignitate.

M. T. C. Terentiæ, et pater suavissimæ filiæ, Cicero matri, et sorori S. D.

Considerandum vobis etiam, atque etiam, ani-

mæ meæ, diligenter puto, quid faciatis, Romæ ne sitis, an mecum in aliquo tuto loco. Id non solum meum consilium est, sed etiam vestrum. Mihi veniunt in mentem hæc: Romæ vos esse tutò posse per Dolabellam, eamque rem posse nobis adjumento esse, si qua vis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint. Sed rursùs illud me movet, quod video omnes bonos abesse Roma, et eos mulieres suas secum habere. Hæc autem regio, in qua ego sum, nostrorum est tūm oppidorum, tūm etiam prædiorum: ut et multum esse mecum, et cum abiectis, commodè etiam in nostris prædiis esse possitis. Mihi plānè non satis constat adhuc, utrum sit melius. Vos videte quid aliæ faciant isto loco fœminæ, et ne, cum velitis exire non liceat. Id velim diligenter etiam, atque etiam vobiscum, et cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula, et præsidium habeat, Philotimo dicetis. Et velim tabellarios institutatis certos, ut quotidiè aliquas à vobis litteras accipiam. Maximè autem date operam, ut valeatis, si nos vultis valere. viii. Kalend. Februar. Formiis.

ARGUMENTUM.

Dolorem significat ex filiæ valetudine, et difficultatem, quod minus possit proprius accedere.

M. T. C. Terentiæ suæ S. D.

In maximis meis doloribus excruciat me vale-tudo Tulliæ nostræ, de qua nihil est, quod ad te plura scribam. Tibi enim æquè magnæ curæ esse certò scio. Quod me proprius vultis accedere, vi-deo ita esse faciendum: etiam antè fecissem: sed

530

EPIST. AD TERENTIAM.

me multa impedierunt, quæ ne nunc quidèm expedita sunt. Sed à Pomponio expecto litteras: quas ad me quamprimum perferendas cures, velim. Da operam, ut valeas.

ARGUMENTUM.

Mandat, ut in Tusculano omnia sint parata ad hospites accipiendo.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

In Tusculanum nos venturos putamus autem nonis, aut postridie. Ibi fac ut sint omnia parata. Plures enim fortasse nobiscum erunt: et ut arbitrator, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balneo non est, fac ut sit: item cætera, quæ sunt ad victimum, et ad valetudinem necessaria. Vale. Kal. Octob. de Venusio.

ARGUMENTUM.

Scribit, ut, quæ tempus postulabit, provideat, sibique absenti administret, litterasque mittat.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Da operam, ut convalescas: quod opus erit, ut res, tempusque postulat, provideas, atque administres, et ad me de omnibus rebus quam sæpius litteras mittas. Vale.

ARGUMENTUM.

Dicit se tabellarios expectare, ut consilium capere possit.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Nos quotidiè

LIBER XIV.

531

tabellarios vestros expectamus: qui si venerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusque te statim certiore. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kal. Sept.

ARGUMENTUM.

Nondum se neque de Cæsaris adventu, neque de ejus litteris quidquam scire dicit.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Nos neque de Cæsaris adventu, neque de litteris, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certior. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. iv. id. Sext.

ARGUMENTUM.

Scribit de litteris à Cæsare acceptis, de ejus adventu, de obviam itione.

M. T. C. Terent. suæ S. D.

Si vales, benè est: ego valeo. Redditæ mihi jam tandem sunt à Cæsare litteræ satis liberales: et ipse opinione celerius venturus esse dicitur. Cui utrum obviā procedam, an hic eum exceptem, cum constituero, faciam te certiore. Tabellarios mihi velim quamprimum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. prid. id. Sext.